



*G. D. 24* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*V.E. 37*

SIGNAT. *ccccxiii.*

2

Quod summus conscientiæ Director  
Felix esse jubeat.

DISSERTATIONEM  
DE  
**CONSCIENTIA**  
**ANTECEDENTE**  
**RECTA ET ERRONEA,**  
*Eruditæ & placidæ censorum disqui-*  
*sitioni committunt*

PRÆSES  
**M. ANDREAS TORKOSIUS,**  
Jaurin. Hung.  
ET  
RESPONDENS  
**Gotthelff Schühe / Gorlitz Lusat.**  
ad d. 6. Febr. A. d<sup>o</sup> c<sup>o</sup> XCVII.  
*In Auditorio Minorī*



WITTEBENRGÆ,  
Ex Officina Typographica Johannis Hakii.

БИБЛІОГРАФІЯ  
ІСТОРІЯ  
ДЕ

АПЛІЕНОГІО  
ІНСІДЕНТИА

АРХІВАТНА ТА ОЯ  
ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІРІЕС

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ

ІСТОРИЧНИКІВ



Rat Matthias quidam cognomine Knutius, natione  
Holsatus, sed vagus admodum studiosus, qui DEum  
Angelosque bonos juxta & malos petulanter per-  
negavit, conscientiam verò summi Numinis instar,  
magistratui cœlesti pariter ac terrestri, multum an-  
teposuit: Horrenda magis sunt quam audienda e-  
jus verba, quæ in Syntagmate suo historiæ Ecclesiasticæ p. 1261.  
Mickrælius annotavit; non esse DEum, inquit ille, neque diabol. m., i-  
tem: *Loco Magistratus & Sacerdotum, esse scientiam & rationem, con-  
junctam cum conscientia, quæ doceat honestè vivere, neminem ledere &  
suum cuique tribuere*; Verum enim verò, hæc uti verba Christiano  
indigna, ita vel parum eruditio, sine sale dicta apparent, si enim  
DEus non est, profectò nec poena factorum est nec præmium,  
quid ergo conscientia opus? Nos sanè meliori nixi fundamento  
DEum veneramus prius, tum & conscientiam haud negligimus.

Ast verò est illa quam de conscientia vocamus, ut ardua, ita  
per utilis doctrina, demum enim is verè felix est & sapiens, qui  
conscientiâ Magistrâ rebus novit sic incumbere suis, ut illæ vel a-  
gantur nunquam, aut si agantur tamen secus non, quam rectæ re-  
spondisse conscientiæ videantur. Suum huic asserto calculum ap-  
ponit, tritum sed vulgo, ut audit, aureum illud γνῶθι σέαπόλεων sive  
enim agamus quid ab intra sive ab extra nostri semper ratio præ-  
scienda est, nempè sive animo Deum naturamq; rerum Divinarum  
contemplemur, prius quid nos simus sciendum, quippe tanto à Nu-  
mine sumo sum9 remotiores, quanto fortè creatura distat a crea-  
tore, sive corpore nos aliis præsentes demus, priusquam qui ad sunt  
sciantur, qui simus nos, scire decet. In hoc certè magna hominis  
cum DEo conformitas est, ut Hic uno actu & se & omnia extra se  
existentia, noscat sciatvè, ille si se novit, & ea quæ sunt extra se,  
suo se certè Creatori conformem dedit. Verùm cur dicam prolixis  
de scientia sui ipsius, cum in præsenti thema dissertationis CONSCI-  
ENTIA sit. In qua explicanda, multi satis desudarunt, Nos quoque

aliqvid conabimur, qvod si evenerit feliciter DEUM laudato L. B.  
si secus tamen faveto, memor illius.

Errare humanum est.

§.I. Ordiendo limes ita ponendus esset, ut existentia & Veritas statim thematis appareret, verum methodus ab exquisitæ doctrinæ Viris præscripta, id postulat, ut ante omnia ratio Nominis expendatur. Parendum ergo, &, qvid sit conscientia, dignoscendum est i. Ab Etymologia: ubi nos parum solicii, qvis fortè vocis autor fuerit, neqve disqvirimus adeò, qvis primus, qvi conscientiæ vocem rei per eam significatæ imposuerit. Antiquissimam enim esse inde notescit, qvod eadem Quintilianus, lib. V. Cicero, Ovidius & Horatius usi sunt, Iste enim lib. 5. Epist. 5. 60.

--- --- *Hic murus aheneus esto*

*Nil, consciere mali, nulla pallescere culpa.*

Spectata autem vocis etymologia varii variè sentiunt! Sunt qvippè qvi conscientiam Scientiam concludentem ajunt, adeo qvè à τῷ concludere, vocem deducere conantūr, verum haud feliciter vocis etymologia hoc passu absolvitur, concludere enim & ratiocinari praxis est conscientiæ, qvæ tamen etymologiam, vocis, planè non ponit. Satius illi rem docere videntur, qvi conscientiam cordis scientiam dicunt, ex qvibus Hugo præcipue eminet, citatus à B. Balduino in casibus conscientiæ. Iste enim ait, *Conscientia est cordis scientia, ad jungendo ex deo sui asserti, quia cor & se novit suā scientia & multa alia.* Verum procul omni dubio rem tetigerunt optimè, qvi vocem a verbo scio derivare conantur, clarum qvippè est eam descendere a præpositione con, qvod idem notat atqve simul, & nomine scientia, qvod rursus à verbo scio seu concretoscens deducitur. Sicut enim scius & conscientius in eo differunt, qvod ille secum hic vero cum aliis sciens, ita qvoqvè scientia & conscientia, differunt in tantum, in quantum illa solitariam, hæc verò simultaneam, & cum aliis communē involvit notitiam.

2. Ab homonymia. non allaboramus in id, ut multis ambigibus explicetur, qvomodo in hac vel illa disciplina vox conscientiæ usurpetur, maximè qvod in præsenti Ethico in foro versetur;

mur; hic autem sumitur vox vel objectivè, vel effectivè, vel subjectivè, vel formaliter. Objectivè non denotat notitiam simpli-  
cem s. Solitariam, sed conjunctam & facto applicatam, quatenus  
np. illud vel omissum vel commissum cognoscimus, sed notat sæ-  
pe & notitiam, quâ objectum aliquod comprehenditur, ut patet  
ex illo Tertulliani adversus Marcionem lib. I. cap. 7. *Anime à pri-  
mordio conscientia DEI dos est*, conscientia DEI, id est notitia DEI.  
Subjectivè quamvis conscientia intellectui agentis inhæreat, nihil  
ominus tamen domestica non est, sed aliis extra se existentibus iis-  
que non paucis communicata. Deus enim cogitatorum juxta &  
factorum optimè conscius est, *Est profectò Deus qviquæ nos agimus*  
*auditqve & videt*, sed & Angeli qvibus hominis commissa custo-  
dia est, scientiam factorum, siquidem ea fuerint externa, egregiam  
habent, undè illud Bernh. *qvo vis in angulo reverentiam habebis An-  
gelo*, & qvia raro qvid agitur solitariè, homines qvoqve facto-  
rum conscië sunt Proinde. Curt. lib. 6, qvod igitur conscientia affer-  
tur judicium? hoc est, qvo argumento vinci potest, conjuratio-  
nis nos consciens esse? Et cic. I. Cat. *constrictam jam omnium hominum*  
*conscientiā, teneri conjurationem tuam, non vides?* Effectivè sumi-  
tur pro Syllogismo, sive ratiocinatione illa practica, qvæ non secus  
ac in Syllogismis logicè perfectis, duabus præmissis & conclusio-  
ne absolvitur, ubi propositio semper de jure agit, assumptio de fa-  
cto, vel statu nostro, & conclusio de relatione exsurgente ex fa-  
cto nostro, ratione illius juris, cui conformis esse debebat. For-  
maliter pro actu intellectus judicativi, qvo examinatur & discer-  
nitur res facienda ne sit? an v. minus. Et hæc significatio con-  
scientiæ nostri nunc est instituti.

3. A Synonymia, Qvam qvod attinet, apud latinos pau-  
ca inveniuntur nimis, & penè nulla Synonymia nisi addas edua-  
bus vocibus Synonymias Ergo contracta, & in Lexicis juxta &  
in Thesauro Synonymorum, Synonymicè usurpata, uti sunt con-  
scia mens, notitia sui, tribunal domesticum, pædagogus animæ,  
frænum ante peccatum, post peccatum vero flagrum. Alias in lin-  
gvis, à Latinâ diversis, dantur vocabula significationem consci-  
entiae

entiae Synonymicè exhibentia, ut apud Germanos Vox Gewissen idem planè denotat, prout Dn. M. Ludov. Dunte in decisionibus suis p. 3. prolixius explicavit; apud Græcos Synonymiam facit, communi illa vox συνείδησις, & à D. Paulo Rom. 2.v.15. usurpata συμμαρτυρόσας διετῶν τῆς συνειδήσεως, a συνειδέω, à cuius perfecto passivo & ejus 2. persona deducitur συνειδησις conscientia. Sunt qvi eam vocabulo συντήρησεως (à verbo συντήρεω in intellectu conservo) exprimere conantur; Sed errant: tam valdè enim hæc duo vocabula inter se differunt, ut Synonymicè usurpari nequeant, qvippè hæc scil. συνίδησις, est dictamen rectæ rationis sive lumen aliquod, naturaliter ad hoc vel illud, intellectum inclinans respectu particularium; Sed respectu principiorum universaliter practicabilium, dicens intellectum ad id, qvod illis principiis conforme adeoq; prosequendum est; Illa vero n. m. συνείδησις, notitia est dijudicativa conclusionis deductæ ex principiis universalibus, & insuper indicat, vel dictat qvid in particulari benè vel malè agendum aut jam actum est; Conveniunt autem συντήρησις & συνείδησις in eo, qvod utriusq; Subjectum intellectus est. Hebræis nullum est verbum, qvo propria conscientiæ significatio posset exhaustiri, usui proinde apud illos cedit, qvod sermonem facientes de conscientia alterutrum vocabolorum לִבְ בַּבָּ a rad. רִיתְ adhibeant, qvorum illud cor, sed hoc Spiritum denotat.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

§.ll. Absoluta Nominis definitione, è re omnino esse videtur, ut succincta perspicua tamē addatur πίκρησις de qvæstionibꝫ: an detur conscientia? &, si datur, cuius nam disciplinæ sit officium, ejus naturam explicare? Qvarum qvæstionum prior, qvia levioris est demonstrationis, breviores in affirmando erimus, in primis qvod Excellentiss. Dn. Röhrensee, in tractatu suo Ethico p. 13. hujus qvicqvid sit discriminis accurate satis, nec non sufficienter composuerit; interim ut nostro velex parte satis faciam us officio esse omnino conscientiam ajimus, nixi tribus præcipue rationibus petitis & a sacra scriptura, cuius varia fane dicta existentiam conscientiæ variè declarant, ex qvibus tamen omnibus prolixitatis vitandæ

vitandæ causa duo saltem proferre licet , ut 2. Cor. i. v. 12.  
Et i. Tim. i. 19.  $\beta$  Ab experientia. Conscientia enim sispe-  
ctatur ut antecedens, jubet sicut et que ea , quæ honestatem sapi-  
unt & æquitatem ; si vero ut consequens, acta bona & exinde re-  
gulis rectæ rationis accommoda laudat , mala vero reprehendit  
& exaggerat.  $\gamma$  A testimoñis gentilium , sic enim Cic. in Orat:  
pro Cluent. Conscientiam a Diis immortalibus accepimus , quæ  
divelli à nobis non potest. Hic autem ne' forsan otiosam videatur  
intellexisse conscientiam , de ejusdem paulo post effectis hunc in  
modum ait : Magnam enim vim habet conscientia in utramque  
partem , ut semper poenam ante oculos versari putent qui pecca-  
verint , & nihil timeant qui nihil admiserint. Et Ovid lib. 5. Fast.

*Conscio mens ut cuique sua est , ita concipit intra*

*Pectora , profecto spemque metumque suo.*

Non obstat igitur famosiorum quorundam Atheorum nequitia  
qui ut DEI existentiam petulanter negant , & conscientiam exi-  
stere inficiantur. Nam isti vim ab extra licet cohibeant , ab intra ta-  
men necevellere eam neque supprimere valent.

§.III. Altioris aliquanto indaginis est quæstio , ad quam propriè  
disciplinam , conscientiæ doctrina pertinet ? Illi præcipue , quo-  
rum libri de Casibus conscientiæ conscripti exstant , hanc con-  
scientiæ tractationem ad Theologiam trahere conantur , hanc suæ  
hypothesos rationem ponentes , quia peculiare Spiritus S. donum  
est conscientia , oriturque ex peccatorum remissione , & imputata  
Christi justitia. Nonnulli vero Physicorum conscientiam sui argu-  
menti fecerunt , eò quod pertineat ad intellectum. Nos equidem  
tum diversis variorum eruditorum opinionibus , nullam superad-  
dimus Censuram ; illis tamen assentimur , facilius qui eam in E-  
thicis tractandam arbitrantur. Etenim quod rectè de conscientia  
Ethici agant , stabiliri firmis rationibus potest , desumptis partim à  
Principio. Est quippe conscientia , immediatus summi Boni ef-  
fectus , ut in eo plurimi sanè ethici & accuratissimi quidem con-  
veniunt. Ita inter alios Excell. Dn. Röhrens. p. 39. Cum S. Bono  
quædam

qvædam induulso nexu conjunguntur, ac immediati ejus effectus audiunt, ut bona conscientia & honesta voluptas. Accedit qvod conscientia nempè antecedens etiam mediū est ad S. B. si quidem faces quasi præfert, Viamq; monstrat, qvomodo quis ad sanum felicitatis culmen queat pervenire, nimirum conatu actionum peragendarum juxta regulam rectæ rationis, sive conatu virtutum, qvas sanè virtutes media esse ad. S. B. acquirendum nemo nisi hospes negabit. At verò si conscientia pro diversitate respectuum & medium est & effectus S. B. Ethici, certè & ad eam conscientia referenda est disciplinam, in qua etiam S. B. docetur. Partim ab *objeto*: Conscientia enim, circa actiones cogitationesq; hominum versatur, qvæ examinandæ semper sunt, num etiam cum norma virtutis & honestatis convenient? an vero minus, sive tandem convenient sive non, ab Ethica tamen exulare nequeunt, ut potè in qua docetur, qvid honestum sit, qvid virtuosum, qvid è contrario turpè & vitiosum. Partim ab *effectu*, conscientia sive recta ea sit, sive erronea, tamen svadet semper agenda ea, qvæ videntur bona, licet hæc, nim. erronea, in suis svadendi argumentis infelix videatur, eo qvod velit ea facienda qvæ revera mala sunt, & saltem per errorem ut bona concepta. Qvicq; sit svadere bonum Ethicæ officium est, ut potè cuius finis, haud secus atq; totius disciplinæ practicæ, bonum est.

ΕΡΓΑΣΙΑ. Χειρογραφία. στην Ελλάδα της Αθήνας

§. IV. Siqvidem ea qvæ necessaria præcognitu videbantur, absoluta pro viribus sunt, ordo naturæ postulat, & ea qvæ caput rei constituunt examinare, h. est definitionem confidere, & fieri qvatum potest qviditatē rei expendere. Ast v. tanta est varietas descriptionum conscientiæ apud eruditos, ut hæsitandum sit, qvænam ex omnibus eligenda. Cæterum nostris satis facere censoribus arbitramur satius, si post habitis aliorum definitionib; novam nostroq; conatu compositam ponimus. Est igitur conscientia antecedens, judicium intellectus practici dictans & svadens facienda, qvæ cum Legibus diuinis & humanis converniunt,

veniunt, omittenda verò quæ disconveniunt. De genere conscientiæ solliciti variis autorum opinionibus variè trahemus. Multi enim actum loco generis ponebant, Nam cum Thoma plerique Scriptores scholastici, multi potentiam; alii habitum, quos prolixius aliquantò recenset, Dn. Sondersohn in tract. de conscient. p. 22. seqq. Nos quia informationi Excell. Dn. Rehr. Moral. PP. in illustri hac Academ. multum asverfacti, ejus etiam hæc in re sententiam amplectimur libenter, adeoquè generis loco ponimus, judicium intellectus, non evidem prout Synonymicè sumitur cum jure naturali, sive cum dictamine rectæ rationis, hoc eni modo nobis contradicentes, ludibrio magis quam laudi esse mus eis, quibus forte censuræ commissa cura est, Sed quatenus illud judicium intellectus, circa actiones morales, occupatum peculiari nomine vocatur conscientia Vid Dn. Puffend. in jure naturæ & Gent. p. 38. Sive prout illud (np judicium) ex principiis practicis natura notis, scilicet Legibus naturæ, & conclusionibus indè deductis, ut sunt Leges positivæ, de objecto morali deponit, dividiturque in absolutum & comparatum Vid. Excell. Dn. Röhr. p. 68. Ea enim conscientiæ np. natura est, ut agenda priusquam svadeat, ad normam principii primi examinet, dijudicetque, atque hinc nomen judicii, conscientiæ legitimè potest imponi. Et sanè vix se res cum conscientia antecedente secus habet, quam cum Magistratu fortassis Civili, qui cognitis cognoscendis Leges præscribit, in commodum reipubl. compositas, jubet tandem, imperat, & svadet subditis, ne quid alieni a Legibus agant.

§. V. Differentia petitur pardim ab adjuncto, p. à subjecto, p. à formalis actu p. etiam ab objecto. Petitur autem ab adjuncto differentia, eo quod dicatur conscientia antecedens, eo ipso enim distinguitur à consequente, & quæ ponitur inter consequentem & antecedentem scilicet probabili.

§. VI. A subjecto, quod est intellectus practicus. Est autem subjectum sive ut logici loqui non nunquam amant, materia in qua, duplex, nempe Quod, vel Quo, de utroque videbimus paucis. Subjectum quod homo est, creatura scilicet rationalis, constans è duabus partibus essentialibus, animâ & corpore, & quidem omnis, non obstante ullo discrimine, vel religionis, vel conditio-

nis vel etiam ætatis. Etenim qvod Athei videantur in eapaces conscientiæ, ut potè qui DEum existere negant, parum certè valet, eo qvod neqvè DEum ita simpliciter negare queant, quin cordis interna confessio externæ, oris negationi contrarietur, sic sanè nec ipsam conscientiam, ut jam dictum; animo suo eruere valent, quo minus in hæreat semper, certisqvè temporum vicibus emineat. Et ipsos Ethnicos qvibus veri DEI, abscondita est notitia, Subjectum esse conscientiæ Paulus testatur, Rom. 2. v. 15. Ostendere eos opus Legis scriptum in cordibus, testimonium etiam perhibente conscientiæ. Neqve nos pace censorum pueros eximimus, licet ejus sint ætatis, ut qvid bonum sit qvidve malum, accurate semper discernere nequeant; Nam in esse eis conscientiam et si debiliter nimis vel exinde patet qvod si illi qvidqvam commiserint in honesti, latere qværant celareqve. Ast conditionem hominum benevolens observatam, illi enim qui rationis usu plenario gaudent, etiam plenariè subjectum sunt conscientiæ, phrenetici vero nec non alii sua capti mente, ut intellectu carent ita etiam conscientiæ capaces haud judicantur.

§. VII. Ad bruta qvod attinet extra controversiam est, ea subjectum conscientiæ non esse, non ideo saltem, qvod careant intellectu, sed maximè qvod nullis Legibus sint obstricta; ubi autem nulla Lex, ibi nulla obligatio. Neqve hic probat qvicqvam, qvod agant aliquando talia, qvæ speciem habere videntur æquitatis & prudentiæ, nam illa non ex intellectu rationali ut ajunt, sed ex instinctu naturali, sive phantasiæ agunt.

§. VIII. Qvod qvæstionem Spectat eorum, qui inter se discepunt, num conscientia & in spiritus completos cadat, eam silentio pretereo, tum vitandæ prolixitatis ergo, tum ideo qvod futuris D. D. Temporibus, commodior forsitan dicendi occasio afferetur.

§. IX. Sed videamus etiam de subjecto qvo, est autem illud intellectus, cuius si naturam species facultas est animæ rationalis ad verum cognoscendum ordinata. Sperl. in Phys. p. 120. Est verò iste intellectus aliis Theoreticus, aliis practicus. Ille contemplatur saltem & speculatur Verum qvatenus verum, qvo etiam cognito non acquiescit modo, sed & acquiescere cogitur, proinde Astronomus cognitis astrorum situationibus vel ideo acquiesce-

re.

re debet, qvod natura objecti ulteriore operationem admittere non valeat. Iste autem cognitō verō etiam ad praxin tendit. Cæterum dupliciter intellectus iste vocatur practicus, i. ob facultatem repræsentativam, qvā voluntati qvævis res velut in Speculo repræsentatur, & monstratur simul, qvæ in ea sit ratio convenientiæ, vel inconvenientiæ, bonitatis & malitiæ. 2. judicativam, cuius qvidem beneficio expenduntur rationes oblatæ, circa qvævis objecta, & qvid boni, qvid vè insit mali dijudicatur. Huic ergo intellectui practico, tanq; subiecto proximo & immediato conscientiam inhærere statuimus. Vid. Excell. Dn. Röhr. p. 66. Etsi vero & Voluntas sit potentia partis intellectivæ ut Vult Arist. lib. 3. de anim. à Cl. sonders. citatus, tamen eam nihil habere commercii cum conscientia facile appetit, vel exinde, qvod ea si in est voluntati, aut per modum potentiarum, aut per modum habitus in est, sed neqvè ut potentia: esset enim liberum arbitrium, adeoque positis ad agendum requisitis posset agere vel non agere, hoc vel illo modo, hoc vel illo tempore agere, Neqvè ut habitus, qvia eo pacto virtus esset. Conf. Sond. in h. l. Accedit qvod conscientia in libera electione vel rejectione, qvæ munia sunt voluntatis saltem, non consistat, neque ulla voluntas pollet judicandi facultate, sed se se intellectui dirigenti conformare cogitur.

§ X. Desumitur porro differentia ab actu formalis conscientiæ qui in dictamine & svavione consistit, Nam vel parum meditandi obvium est, conscientiam dictare qvædam & imperare, qvædam vero svadere saltem, Nam ea qvæ sunt absolute honesta, etiam absolute & sine omni exceptione facienda imperat, & qvæ vice versa absolute turpia sunt, etiam simpliciter intermitenda jubet, sunt v. hujusmodi: Deus est colendus, Parentes honorandi, homo nō occidendus &c. & sanè huic quis conscientiæ nisi obsequiū præstiterit, reū se sciat poenæ cœlit⁹ infligendæ.

§ XI. Qvædam v. sub modum consilii svadet, ea Nam. qvæ sub ratione melioris aut deterioris offeruntur, sive qvæ ut commodiora atq; tutiora. Exemplum hujus rei Hundeshag. posuit in Tab. Ethic. p. 50. si svaderet conscientia recta, ne hac vel illa hora prodires in forum, cum facile in infidias inimici ibi præsentis incidere possis, melius est omittere, qvam facere. Melius sanè qvoni-

am Deus Opt. Max. hunc internū judicem non saltem ut præcipientem, sed ut svadentem & disvadentem nobis proposuit, cuius ad eō qvi contemnit consilium, DEum non minus spernit, ac discipulus in super habens, præceptoris monita, cui obedire jussus est à parentibus. Est vero svasūs mandatiqve conscientiæ, & convenientia & inconvenientia. Conveniunt enim in eō, qvod in utroqve actu, voluntas instigatur, ad aliquid faciendum aut omittendum; differunt verò, qvod ibi vehementiori qvodam instinctu, & qvidem præcepto necessariè faciendo, voluntas cogatur, hic autem initiori mandato, sive svasu saltem alliciatur, ad faciendum hoc vel isto modo.

S. XII. *Denique, ab objecto.* Habentur autem pro objecto actiones hominum, particulares moraliter agibiles. Notanter autem dico actiones hominum, scil. creaturarum rationabilium & in quantum illæ actiones non sunt præteritæ, nec præsentes, sed futuræ. Etsi enim conscientia, de præteritis censeatur ferre judicium, nihilominus tamen & de futuris magnam gerit curam. Porro debent esse actiones illæ particulares, ut potè qvæ ad regulas universales examinari queant. Debent in super & propriæ esse: quid enim interest conscientiæ aliena curare, cum ex adverso de propriis dispicere multum juvit: Excluditur igitur de hinc, ea conscientiæ acceptio, qvæ ob latitudinem, etiam peregrina significare videtur, ut concium esse aliquem arcanorum Regis &c. Et quia nihil convenientiæ habet conscientia, cum actionibus naturalibus, cum superpondio dictum volui, objectum conscientiæ actiones esse moraliter agibiles. Lubens me hic non diffundam, in multas adeò actionis distinctiones, cum sint modo *necessariæ* ut ortus & occasus solis, decursiones & apparitiones planetarum, qvæ equidem sub scientiam hominis, non autem conscientiam cadunt; modo *contingentes*, & hæ vicissim vel sunt in potestate hominis, vel non sunt; modo *naturales* qvæ se se per actiones naturales exerunt, ut sunt fortè facultas concoquendi, sui similem generandi, sed hic brevitas ergo, saltem actiones morales, qvatenus eæ moraliter dirigibiles sunt, suppono. Eæ autem vel *adiephore* sunt & ita dispositæ, ut sine lesione conscientiæ exerceri possint, vel non possint, ut freqventare hoc vel illud collegium, velle di-

spu-



sputare hac vel de illa materia, quæ etiam actiones cum in electio-  
ne & rejectione consistant, per se (licet aliquando per accidens) ad  
conscientiam non pertinent; vel *necessariæ*, quæ in se habent ali-  
quam necessitatem commissionis vel omissionis, ut DEum cole-  
re, Parentes honorare, Neminem lædere.

§. XIII. Hoc itaqvè pacto quæ ad definitionem pertinere vi-  
dentur absoluta sunt, nisi quod mentionem fecimus in definitio-  
ne, Legum divinarum, & humanarum, quibus conscientia norma-  
ri, & conformis reddi debeat, breviter igitur & de applicatione  
dicturi sumus. Per leges vero Divinas ea præcepta capimus præ-  
cipue, quæ in Decalogo populo Israel promulgato comprehen-  
duntur, & lumen alias audiunt mentibus à DEO humanis in scri-  
ptum, hoc vero a Lumine revelationis propriè talis, ut & a lumi-  
ne rationis pure talis multū differt, nempè revelatio propriè talis,  
vel est extra ordinaria, facta per visiones, Somnia &c. vel ordina-  
ria, facta per ordinariam verbi prædicationem, Ast verò totus ve-  
luti Decalogus, in hisce tribus natura notis præceptis est fundatus,

Cole DEum,

Vive honestè.

& Læde neminem

Ita sanè ejus in monte Sinai promulgatio, non revelatio erat, sed repeti-  
tio, Legis naturæ insitæ. Sed differt quoque a lumine, seu ut alias loqui  
amant à dictamine rationis pure talis, exercentis nempè suam virtutem  
in rebus, vel experientiâ vel naturâ notis, ut bonum est libertatem tueri  
contra Tyrannidem, utilè est Reipubl. mercaturam exercere, cum ex  
adverso Lumen illud a DEo mentibus inditum, merè naturale dici non  
possit, sed habeat sub se aliquid Divini seriam nempè DEi voluntatem;  
Sed qvicquid sit, Legibus divinis conformandam esse conscientiam  
diximus, quod quidem per discursum singularia universalibus conne-  
ctentem absolvit potest, & obstat nihil sive discursus ille Enthymematiæ  
instituatur, Ut omnis qui vivit honestè placet Deo Erg. Petrus placet Deo,  
sive informa perfecti Syllogismi, ut qui honestè suam agit vitam ille pla-  
cket Deo, sed Petrus. Ergo. In definitione meminimus porro Legum  
humanarum quibus np. conscientia etiam conformanda est, Leges autē  
eas intellige, quæ in commodum Reipubl. & utilitatem Patriæ, à Magi-  
stratu politico Legitimè fundatæ sunt, quod rursus per Syllogismum in-  
stitui facile potest, sed an hoc factu sit necessarium, & num etiam Leges  
Civiles conscientiam obligent? infra videbimus.

§. XIV. Hoc ad hoc monendum duxi; quod in applicatione ista errare quis possit quam facilimè, Licet enim circa principia illa universalia, difficulter quis errare queat, tamen in conclusionibus exinde deducendis, & particularibus applicandis potest facile falli, ita non errat si quis largitur, Deum esse colendum, sed errat, si forte DEum eo vult colere modo, quo Deus coli non vult.

§. XV. Jam ratio methodi exigit ut partitio sistatur, quam nos ex ipsâ conscientiæ naturâ desumimus. Ea enim prout actiones hominum antecedit, vel conseqvitur per commodè in antecedentem & consequentem distingvitur, & illa suo rursus modo, feliciter satis in rectam & erroneam, hæc verò in bonam & malam dispescitur, de recta & erronea nunc agere nostri est instituti, de bona v. & mala peculiari, impostorum dissertatione acturi sumus, nihilominus in accuratio rem tractandi methodum haud peccavero, si paucissimis de conscientia etiam consequente acturus sum, est quippe ea judicium velut reflexum intellectus, super omissis aut commissis approbans bene, damnans secus facta, Puffend. l. c, dupliciter autem hæc conscientia suo defungitur officio, afferendo testimonium, factum ne hoc à nobis vel non factum sit; & ferendo judicium an id quod omissum, vel commissum rectè an secundum factū sit.

§. XVI. Hic insuper monendum, quod rectæ & erroneæ conscientiæ, probabilis interponitur, quæ itidem judicium est intellectus, de rebus honestis faciendis, aut turpibus omittendis, non firmis rationibus ad alterutram contradictionis partem determinatum, sed ita ut hic probabilis, cum a rectatum ab errore differat. Recta enim apodicticè monstrat, cur hoc faciendum sit, illud v. omittendum, hæc autem probabilibus saltem nititur argumentis. Ab errore differt, quod illa rem quam svadebat certò, hæc probabiliter saltem ita se habere arbitratur. Ast convenit etiam hæc conscientia cum utraq;, recta nim. & erronea in eo, quod is, qui contra dictamen, utriusq; antecedentis scilicet & probabilis conscientiæ agit, comittit aliquid quod sub rationem criminis cadit; & quidem respectu probabilis ideo, quod moraliter agens id in negotio morali, quod minus probabile est, ante ponit illi rei, quæ magis probabilis est, Düius. p. 104.

§. XVII. Ast hoc quoque reticendum haud erat, quod apud pleros quæ moralistas, tertia conscientiæ distinctio inveniatur, dubia scil. & scrupulosa. Verum quod hæ conscientiæ minus securè hoc nomine venire possint, vel ex inde liquet, quod conscientia propriè talis judicium est intellectus, quo quid agendum aut non agendum, vel etiam alter utra contradictionis pars eligenda dijudicatur, dubia vero & scrupulosa non potest quicquam dijudicare; interim eo venire potest nomine, ob rationem obiecti, quod cum conscientia propriè tali commune habet.

§. XVIII.

§. XVIII. Pronâ jam consequentiâ absolutam ita divisionem, obligatio seqvitur, qvæ h. l. sumitur prout est imperium vel potestas, habens vim urgendi conscientiam, (cum autoritate tamen cui ipsa tenetur obedire) ad faciendum quod sui est officii, eo omnino modo, quo Princeps qui habet potestatem Legislatoriam, ferendo Leges obligat subditos ad ipsarum observationem, Vid. Sonders. p. 143. Ea vero obligatio variè dividitur, in Naturalem & Civilem, in perpetuam & temporariam, in mutuam & non mutuam Vid. Dn. Puffend. p. 315. Seqq. & deniqvè in aëtivam & passivam apud Dn. Sond. explicat autem passivam, secundum qvam conscient. alterius obligationi sub est, aëtivam verò prout ea alteri infert obligationem.

§. XIX. Sed post habitis distinctionibus, videamus paucis, quomodo conscientia antecedens, recta nim. & erronea obligent. Recta igitur conscientia qvia id faciendum dictat, quod cum Legibus congruit, vetat verò quod cum iis pugnat, hinc obligat simpliciter, & omni omnino tempore, adeoq; toties crimen læsæ conscientiæ voluntas incurrit, quoties operatur aliquid mandato ejus contrarium, Ast hac qvia conscientia, secundum diversa juris naturæ præcepta obligat, secundum negativa nempe & affirmativa, proindè etiam obligatio diversa appareat. Nam quoad præcepta Negativa qualia sunt neminem Lædere, quod tibi fieri non vis, alterine feceris, non Moechaberis non occides, & semper obligat, & ad semp. ea qvippè horum præceptorū est ratio, ut eis nullo prorsq; tempore nulloq; modo, qvisq; possit contravenire, imò neq; Deus optimus, qui alias omni pollet potentiam, ita potis est dispensandi, ut homicidiū aliquando non sit homicidium, vel furtum non sit furtū. Hic vero si objicias, atq; magistratus fontem capitali pœna affligens, homicidium committit, risu magis qvam laude dignus es, non enim neglecto sanæ rationis usu, aut affectato id facit animo, sed authoritate publica, servato juris processu, & ob commissum quoddam capitale crimen; sed & ille læsam certè conscientiam non incurrit, qui adhibito in culpatæ tutelæ moderamine, aggressorem suum vita privat; Nam natura nos docet, Vim vi repellere. Sed quoad præcepta affirmativa conscientia obligat semper, non v. ad semper, sunt autem ejusmodi suum cuiqvè tribuendum, magistrati obediendum, Parentes sunt honorandi. Notanter autem vocula semper addita est, naglestâ alterâ quoad semper, exinde quod evaniat sâpè, ob certa impedimenta ut homo, suæ obligationi satisfacere nequeat. Sic ablata fortè res, possessori suo reddi sâpè non potest, vel ob loci distantiam, si is nim. in loco sit, quo res mitti non possit, vel ob aliam restituendi impossibilitatem: neqvè ad semper Magistratui ad obedientiam, vel Parentibus ad obsequium tenemur, jubentibus nempe aliiquid,

Scrip-



Scripturæ, vel etiam honestati contrarium. Magis enim DEo obedien-  
dum, quam hominibus.

S. XX. Rectam ita conscientiam erronea excipit, quæ ita dicitur ab  
errore quem comittit, sed uti error vel Vincibilis est vel invicibilis, item  
dere, vel per se bona, vel per se mala, vel indifferenti, ita etiam con-  
scientia vel vincibiliter, vel invincibiliter est talis, erratque vel in re per  
se bona, vel per se mala, vel in indifferenti. Sed videamus quo modo ob-  
ligat, nam quod obligat extra dubium est apud omnes. Conscientia er-  
ronea, dicta ab errore vincibili in re per se mala obligat ita, ut quicunq;  
agit sive juxta, sive contra illam semper peccat. Ratio est, quia qui jux-  
ta eam agit à veritate Legis ab errat, & rem illicitam perpetrat, falso  
nexus arbitrio, ac si id quod perpetrandum, DEo gratum sit, cum ab e-  
jus voluntate maximè sit alienum: sed peccat etiam qui contra eam a-  
git, ex eo, quod is, qui suæ repugnat conscientiæ, repugnat & Legi di-  
vinæ, etsi non materialiter & verè, formaliter tamen & interpretativè,  
quia quod conscientia dictat, hoc dictat sub specie voluntatis DEi. Res  
vel exiguo exemplo evadet clarior, nim. si quis Monachorum sibi certo  
persuasum reddidisset, tum se DEo gratam exhibitarum victiman, si for-  
tè Regem, hæreticæ Religioni addictum occidat, is certè sive exequatur  
Regicidium sive minus, tamen peccat, Nam etsi abstinentia a Regicidio,  
abstinentia sit à malo, si tamē ponderetur juxta dementatum monachi ani-  
mū abstinentia à Regicidio erit abstinentia à bono, ille autē qui contra di-  
ctam suæ conscientiæ, a bono se abstinet, ille non potest non peccare.  
Cæterum conscientia ab errore invincibili dicta, obligat ita, ut qui juxta  
eam agit non peccat, exinde quod error non voluntarius est, nec mora-  
liter vitari potest, Ast vero si error est de re indifferenti qui juxta eam a-  
git non peccat, peccat vero qui contra eam agit. sic si quis forsitan ho-  
minum hac esset opinione captus, quod salutare non sit, sumere corpus  
Christi sub & cum pane, rotundioris formæ, sed debeat sumi vel sub pa-  
ne formæ quadratae aut oblongæ, ille, si juxta suam agit opinionem non  
peccar, est n. indiferens, sumere corpus Dni, sub pane hujus vel illius  
formæ, ast v. si agit contra eam peccat, vid plur. ap. Joh. Durrium &  
Hundeshagen.

S. XXI. Pauca jam sunt, addenda ad Quæstionem; An Leges Civiles justæ Nihil.  
conscientiam obligent? Sunt enim qui negant, rationem suam desumentes, ab Ex-  
cellentiâ conscientiæ, ut pote quæ longè præstantior est, quam ut humanis Legibus  
stringi queat, nequæ in conscientias, quicunq; sit, præter DEum, habet potesta-  
tem. Sed firmior est, eorum sententia qui statuunt omnino, Leges Civiles habere vim  
obligandi conscientias, asserti sui rationem ponentes. p. in S. literis, quod Paul. Rom.  
13.v.5. Pet. I. Epist. cap. 2. v. 13. id statuat, p. in convenientiâ Legis Civilis, cū Lege naturæ,  
neq; enim ulla Lex Legitima est, nisi sit fundata in Lege naturæ, ut adeo qui peccat con-  
tra Legem Civ. peccet etiam contra Legem Nat. agatq; per consequens contra consci-  
entiam peccat.

S. D. G.



Ung. VI 37




3

Slc.

VJ 17






# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Cyan	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Green	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Yellow	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Red	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Magenta	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
White	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Black	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19



2  
onscientiae Director  
se jubeat.  
TATIONEM  
DE  
CIENTIA  
CEDENTE  
ERRONEA,  
cidæ censorum disqui-  
committunt  
ÆSES  
S TORKOSIUS,  
n. Hung.  
ET  
ONDENS  
hüße / Gorlitz Lusat.  
r. A. d. I. C. XCVII.  
torio Minori  
ITTEBENRGÆ,  
ographica Johannis Hakii.